



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCXLIX. ad annum DCLXXVI.

Parisiis, 1644

Conuentvs Clipiacensis, In quo Clodoueus rex auctoritatis suae
praeceptum de eadem monasterii S. Dionysii libertate conscribi iussit,
anno Christi DCLIX. Vitaliani papae III. Clodouei eiusdem regis ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15300

ANNO
CHRISTI
659.

CONVENTVS
CLIPACENSIS,

In quo Clodoueus rex auctoritatis suæ præceptum de eadem monasterii S. Dionysii libertate conscribi iussit, anno Christi DCLIX. Vitaliani papæ III. Clodouei eiusdem regis XVI.

DE hoc Conuentu multa scribit Aimoinus libro IV. historiæ Francorum cap. XLI. ubi & Clodoueam regem episcopos ac proceres, qui conuenerant, his inter cetera verbis alloquentem inducit. Nobis itaque deuotio, inquit, hæc exstat animi, ut monasterium patroni nostri domni Dionysii, in quo ipse cum consortibus testimonii veritatis requiescit humatus, & piæ memoriæ genitores nostri, domnus videlicet Dagobertus & domina Nantildis, se sepeliri mandaerunt, ab omni soluamus dominio mortalium: quatenus abba vel fratres eo loco commanentes, possessiones a parentibus nostris, siue ab aliis fidelibus Christianis sibi traditas, absque vllius dominationis inquietudine possidentes, pro salute nostra ac statu regni nostri liberius Deum deprecentur. In gestis Dagoberti, quæ in antiquis exemplaribus leguntur, eadem etiam Clodouei regis oratio describitur, sed aliis verbis: iisdem nempe illis, quibus præceptum ipsum contextum est; ut alterum ex altero expressum appareat. Præcepti autem regii exemplum in sancti Dionysii tabulario est huiusmodi.

PRÆCEPTVM
CLODOVEI II. REGIS
DE LIBERTATE MONASTERII SANCTI DIONYSII.

Cludouius rex Francorum vir illuster.

OPORTET clementia principali inter ceteras petitiones illud quod pro salute adscribitur, & pro tenore diuini nominis postulatur, placabili auditu suscipere, & ad effectum perducere, ut fiat in mercede conuictio, dum pro quiete seruorum Dei, vel congruentia locis venerabilibus impertitur petitio. Igitur dum & omni-

Concil. Tom. 15.

Kkk

potens pater, qui dixit de tenebris lumen splendescere, per incarnationis mysterium vnigeniti Filii sui Domini nostri Iesu Christi, vel illustrationem Spiritus sancti, illuxit in corda sanctorum Christianorum, pro cuius amore & desiderio, inter ceteros gloriosos triumphos martyrū, beatus Dionysius, Rusticus, & Eleutherius meruerunt palmam victoriæ, & coronam percipere gloriosam: vbi per multa tempora in eorum basilica, in qua requiescere videntur, non minima miracula Christus videtur per ipsos operari. In quo etiam loco genitores nostri, domnus Dagobertus & domna Nantildis videntur requiescere, vt per intercessionem sanctorum illorum in cælesti regno cum omnibus mereantur participari, & vitam æternam percipere. Et quia ab ipsis principibus a ceteris priscis regibus, vel a Deum timentibus Christianis hominibus, ipse sanctus locus in rebus, propter amorem Dei, & adipiscendam vitam æternam, cernitur esse ditatus; nostra integra deuotio & petitio fuit, vt apostolicus vir Landericus, Parisiacæ vrbis episcopus, priuilegium ad ipsum sanctum locum abbati, vel fratribus ibidem consistētibus facere & confirmare pro quiete futura deberet; quo facilius ipsi congregationi liceret pro stabilitate regni nostri ad limina martyrum ipsorum iugiter exorare. Hoc ipse pontifex cum suis coepiscopis iuxta deuotionis nostræ petitionem plenissima voluntate præstitisse vel confirmasse dignoscitur. Nos igitur per hanc seriem auctoritatis nostræ, iuxta quod supradictum priuilegium a pontificibus factum vel præstitum est, pro reuerentia ipsorum martyrum, vel nostra confirmanda mercede, per hanc auctoritatem iubemus, vt si quid ad ipsum sanctum locum in villabus, mancipiis, vel quibuscumque rebus atque corporibus, a priscis principibus, seu genitoribus nostris vel Deum timentibus hominibus, propter amorem Dei ibidem delegatum, aut deinceps fuerit additum, dum ex munificentia parentum nostrorum, vt diximus, ipse sanctus locus videtur esse ditatus, nullus episcoporum neque præsentis, nec qui futuri erunt successores, aut eorum ordinatores, vel qualibet persona possit quoquo ordine de ipso loco aliquid auferre, aut aliquam potestatem sibi in ipso monasterio vsurpare, vel aliquid quasi per

ANNO
CHRISTI
659.

commutationis titulum absque voluntate ipsius congregationis, vel nostro permisso minuere; aut calices, vel crucis, seu indumenta altarium, vel sacros codices, argentum, aurum, vel qualemcūque speciem, quidquid ibidem collatum fuit aut erit, auferre aut minuere, vel ad ciuitatem deferre præsumat. Sed liceat ipsi sanctæ congregationi quod eis per rectam delegationem collatum est perpetim possidere, quatenus eandem pro animabus parentum nostrorum, & pro stabilitate nostri regni Dominum attentius delectet iugiter exorare. Nos enim pro Dei amore, vel reuerentia ipsorum sanctorum martyrum, & adipiscenda vita æterna, hoc beneficium ad ipsum sanctum locum, cum consilio pontificum, & illustrium virorum nostrorum ac procerum, gratissimo animo & integra voluntate visi sumus præstitisse. Eo videlicet ordine, vt sicut tempore domni & genitoris nostri ibidem chorus psallentium per turmas fuit institutus, vel sicut ad monasterium sancti Mauricii Agaunis, & sancti Martini Turonis, die noctuque tenetur, ita in loco ipso per omnia futura tempora celebretur. Quam auctoritatem decreuimus, Christo in omnibus nobis suffragante, vt firmior habeatur, & per omnia tempora conferuetur, subscriptionibus manus nostræ infra roborari.

Chludouius rex signaui.

Ego Geroaldus obtuli & signaui.

Munemundus episcopus consentiens subscripsi.

Chaoaldus episcopus consentiens subscripsi.

Rauracus episcopus consentiens signaui.

Audemarus episcopus consentiens subscripsi.

Ætherius episcopus consentiens subscripsi.

Eligius episcopus consentiens subscripsi.

Richoaldus episcopus consentiens subscripsi.

Rigobertus episcopus consentiens subscripsi.

Landericus episcopus consentiens subscripsi.

Droglandus episcopus consentiens subscripsi.

Palladius episcopus consentiens subscripsi.

Clarus episcopus consentiens subscripsi.

Armentarius episcopus consentiens subscripsi.

Malehardus episcopus consensi,

Rado episcopus consentiens subscripsi.

Amalbertus episcopus consentiens subscripsi.

Vvaldelmarus episcopus consentiens subscripsi.

Concil. Tom. 15.

Kkk ij

Sichelmus episcopus consentiens subscripsi.
 Chiloaldus episcopus consentiens subscripsi.
 Sanderadus episcopus consentiens subscripsi.
 Tanculfus episcopus consentiens subscripsi.
 Guinemarus episcopus consentiens subscripsi.
 Bobo episcopus consentiens subscripsi.
 Desideratus episcopus consentiens subscripsi.
 Hathodo episcopus consentiens subscripsi.
 Gautiobertus diaconus hoc priuilegium consensit & subscripsit.
 Gerecrannus diaconus subscripsit.
 Bodolenus subscripsit.
 Ebroinus subscripsit.
 Raimbertus subscripsit.
 Arnebertus subscripsit.
 Radobertus maior domus subscripsit.
 Merulfus signauit.
 Bertolando signauit.
 Aigulfus comes palatii subscripsit.
 Tilpingus comes subscripsit.
 Austrebertus subscripsit.
 Terlinus iussus signauit.
 Incrinus subscripsit.
 Probatas signauit.
 Gaulfridus subscripsit.
 Gundebodo signauit.
 Hermenericus signauit.
 Gadefredus subscripsit.
 Chaldo subscripsit.

ANNO
 CHRISTI
 659.

Data sub die x. Kalendas Iulii anno xvi. regni nostri,
 Clipiaco, in Dei nomine feliciter. Amen.

NOTA IACOBI SIRMONDI
 SOCIETATIS IESV.

* *Conuentus Clipiaccensis.*] Anno Christi DCLIX. celebratum Clodouei annorum argumento didicimus. Qui vero Clodouei annos vulgari errore ducunt ex anno DCXLVIII. iudem Conuentum Clipiaccensem differunt in annum DCLXIV.